



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

5. Quænam partes corporis inungendæ sint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

ARTICULUS V.

Quanam partes corporis inungenda sint?

DE necessitate Sacramenti unguuntur organa quinque sensuum, qui sunt quasi origines seu receptacula peccatorum: quia primum principium operationis humanæ, & consequenter etiam omnis peccati est vis cognoscitiva, omnis autem cognitio nostra à sensibus ortum habet. Et quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi adhiberi debet medicina, ideo inunguntur loca seu organa quinque sensuum; scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, & manus propter tactum, quæ in pulpis digitorum præcipuè viget. Aliquando etiam unguuntur pedes, & renes: Pedes quidem propter vim loco motivam, renes verò propter vim appetitivam. Sed hæc duæ unctiones non sunt de necessitate Sacramenti, ideo quidam hoc etiam observant, alii verò non, quia sunt principia peccatorum, ut docet S. Thomas in 4. Et refertur in supplemento q. 32. a. 2. Qui ibi videatur circa totam hanc doctrinam.

Objicies. I. Conc. Florent. enumerat præter reliquas unctiones, etiam renum & pedum

DE EXTREMA UNCT. 405

dum dicit: *In pedibus unguendus est propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem urgentem.* Cum igitur ibi Concil. indifferenter loquatur de pedibus & renibus, sicut de quinque sensibus: videtur sequi quod etiam istæ unctiões sint de essentiâ Sacramenti sicut aliæ. Tum etiam quia etiam vis motiva, & vis appetitiva sunt radices peccatorum.

Resp. Conc. Florent. enumerare omnes illas unctiões quæ fieri possunt, & ab aliis quibus Ecclesiis observabantur, sicut & de facto in multis locis observantur. Non tamen præcipit ut omnes observentur, & multò minus decernit quod sint de essentiâ Sacramenti; si enim illa esset mens Concilii, nullus Auctor auderet aliter docere, sicut tamen passim ferè omnes docent. Nec Ecclesia permetteret usquam aliter fieri. Servandus tamen ubique ritus Ecclesiæ, in quâ hoc Sacramentum confertur, aliter faciens graviter peccaret.

Ad Confirm. Supra dictum est ex S. Thoma, quod licet etiam illæ vires sint principia peccatorum, quia tamen sunt tantum secundaria, & ad alios sensus reducuntur tanquam ad principia primaria, idè non sunt æqualiter necessariae illarum unctiões.

Objicies 2. Aliquando inungendi aliquibus sensibus semper caruerunt, ac proinde per illos non potuerunt peccasse, v.g. cæcus à natiuitate; & sic verificari non pos-

set forma; quia numquam sic cæcus delinquere potuit per visum. Tum etiam mutilari manibus, & naribus non possunt in illis organibus inungi; igitur unctio organorum quinque sensuum non est de necessitate Sacramenti.

Ad utrumque Respondet S. Thomas ubi supra art. 7. *Mutilati etiam inungi debent quanto propinquius fieri potest ad partes, in quibus unctio fieri debuerat; quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias anima, qua illis membris debentur, saltem in radice, & interius peccare possunt per ea quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.* Nec adeo urget id quod adfertur de cæco à Nativitate, quia fieri potest quod alius non carens visu per illum numquam deliquerit. Potuit autem cæcus natus peccasse per sensum internum, scilicet per imaginationem quatenus sensui externo respondet.

ARTICULUS VI.

An singulatim organa sensuum unguenda sint?

HÆc quæstio duo involvit: i. utrum quoad illos sensus qui duo habent organa sicut est visus, & auditus sufficiat alterum illorum inungere; An vero utrumque unguenda